



Sammelband

6A  
173



16.

27. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA

DE

BENEFICIIS,

QVÆ

AMPLISSIMI PHILOSOPHICI

ORDINIS AUSPICIIS

IN ACADEMIA JENENSI,

sub Præsidio Fratris

M. HENR. PHIL. **BUDE** /

*Ad d. Aug. A. M DC III C.*

*defendetur*

*ab*

AUCTORE RESPONDENTE

**JOH. PETRO BUDE.**

---

JENÆ,

LITTERIS GOLLNERIANIS, 1697.

11.

OP. D. B. N.

EXERCITATIO ACADEMICA

BENEFICII

QVAE

AMPLISSIMI PHILOSOPHICI

ORDINIS AUSPICII

IN ACADEMIA JENENSIS

ab Acad. Jenens.

M. HENR. PHIL. BUNDE

Ab. A. M. DE INC.

Ab. A.

ab

AUCTORE RESPONDENTE

JOH. PETRO BUNDE

JENAE

LITTERIS GÖTTINGIANIS, 1767.





I. N. 7.

# PROLEGOMENA.

## HYPOTHESIS I.

DE RATIONE BENEFACIENDI MORALIA PRÆCEPTA DEDISSE

OPUS EST.

§. I.



Rava enim exempla ubi increbrescant, necessum est optimas leges sanxille; non secus prudentium præcepta curatius conquirenda, ubi remerè & imprudenter facta accumuluntur.

§. II.

Hæc verò inter non postremum est beneficia malè erogasse. Id docet infelicissimus eventus, qui imprudentiæ certus plerumque index. Adeò verum illud: *Fortuna sua quisque faber.* Quid tu verò mali, inquis, circa beneficia? Infinitum! Unde enim tanta ingratorum multitudo?

§. III.

Quod qui fieri possit mecum observes. Non ex iudicio (loquor de plurimis) sed impetu quodam moti homines, quibus benefaciunt sibi adsciscunt. Desunt

A 2

pru-

prudenter electionis regulæ facultatem referendi  
respiciunt, de voluntate parum solliciti. Quasi verò  
fieri possit ut, qui vel ditissimi sunt, ac, ut recentioris  
Philosophiæ vocabulum habet, *avaritia* tanquam *domi-*  
*nante passione* constricti, in amore faciant paria. Est  
illud, de quo ex *ingeniorum scrutinio* rectius informa-  
ri debuere, quò cum destituti sint, isthac quæ ipsis vi-  
detur electio reverè projectio est. Desine jam mira-  
ri inter hos, quos multi beneficiis suis frui decreve-  
runt, aut nullos reperiri, aut (si fortè obtingunt) rarif-  
simos esse gratæ mentis homines.

§. IV.

Est qui circa *ὑποκείμενα* in benefaciendi ratione  
vulgaris erratur error. Modum beneficii sive τὸ εἶδος,  
ut Aristoteles, aut *id quò*, uti Plato apud Senecam epist.  
65. loquuntur, nihilò rectius desiniunt. Multa gratis  
admiscunt odiosa ita verò admiscunt ut dulcia acerbis  
non temperent sed obruant. Fortius scil. animum per-  
cellunt τὰ θυμώδη, quibus si delectantia superentur, non  
potest non animus exulceratus revocatis ad animum  
injuriis benefactorum memoriam extinguere. *Ἐξ ἑσῶν*  
*ἰδῶν δῶν.*

§. V.

*A modo beneficii dandi* cum discesseris, nihil incon-  
sultius, nihil ad excitandas ingratas mentes efficacius,  
quam recepta *beneficia repetendi ratio*. *Προξῶν* *ιδέας*  
confundunt miserè, quæ distinctissimæ sunt, indicio  
certissimo præposteris sui iudicii practici. Tractant  
eòdem modo beneficia, & credita, ac quod hic licet il-  
lic sibi indulgent. Exigunt beneficia, non solventes  
illico objurgant, queruntur de neglectis temporum  
momentis non secus ac si legibus fuissent definita.

Ita-

Itaque & cum dant cœca hominum pectora ingratos  
conciunt, & cum dederunt concitatos confirmant  
nondum accensos exstimulant.

§. VI.

Hæc nostra ætate indies fieri deteriora minus mi-  
randum est. A primæva namque puritate magis ma-  
gisque removemur. Nova amamus nec sat exasciata,  
modo quæ à prælo madent, redolentque luxurian-  
tem animum. Vetera fermè dedidicimus, ut vix ma-  
gis sit necessarium, quam nostra ætate ad antiquam sa-  
pientiam homines revocasse, & si vetera nimis magni-  
ficè aut nervosè dicta, pinguiori minerva explicasse,  
& ad novam philosophandi rationem accommodasse.

VII.

Vide verò quid corollarii ex ista observatione  
ignobile, ratiociniisque exactioribus non innutritum  
vulgus concludat. *Intermittenda ergo, inquiunt, be-  
neficia si tantum periculum est ne fallamur.*

§. VIII.

Illa verò ratio à benefaciendi proposito primum  
*amovere* nos nequit. Quod si enim ab actione cessare  
velis ideo, quod felix eventus in nostra potestate non  
est positus, quæ tandem (quorum humano generi adeò  
interest) negotia curabuntur? Negligeturne ergo edu-  
catio liberorum? Quò exemplo Seneca utitur notissi-  
mo & multum *παράδειγμα* alente. Itane ergo, qui in Aca-  
demiis scholisve juventuti mentis cultum impertiuntur  
operæ parcent? Si rara *εὐτηνία* est, si nec agricola com-  
modum semper, cui semina mandet, solum reperit,  
quam minimè vulgare sit oportet, commoda ingenia  
invenisse, quæ tradita & percipiant feliciter, & cum res

fert dextrè applicent. Habes ergo *ἐνσυνω* manifestissimam, quæ, si quid fuerit dubii de actione ob infelicio-  
ris eventus suspicionem suspendenda, omnino dispel-  
lat. Addo quod falsum sit beneficientes eventu quan-  
doque frustrari bono. Quicquid beneficii bonum est  
nullum obnoxium casibus, non extra nostram potesta-  
tem est positum. Fecisti bene, est quæ conscientiam  
oblectet honestas. Itaque non avocatur illa ratio.

§. IX.

Sed nunc oratio tollenda altius. Vel *movere* citi-  
us dixerimus. Audere cum periculo magni animi est,  
singularis prudentiæ & fortuita disponere posse: sicuti  
exiguæ mentis ibi conari, ubi quid exinde futurum cer-  
tis nullumque planè scrupulum admittentibus argu-  
mentis persuasus sis. Et quid? En mensuram omnis  
virtutis perfectionisve Deum, quæ ideò nobis data, ut  
moralium studiosi intimius introspiceremus, ad ea, quæ  
circa Deum deprehenderimus, vitam componere-  
mus, sequeremurque istum præeuntem Ducem omni-  
um optimum, si non æquis, alacribus tamen passibus.  
Hunc & indignis benefacere inferius explicabitur.

§. X.

Ignosce lector quod eam, quam alii speculationis  
gratia, operosam prolixitatem ad refellenda temerè vi-  
ventium σοφισματῶν aut si mavis *præjudicia* conferam.  
Etsi enim istiusmodi rationes exiles videri possent; si  
tamen depravatò affectu sustententur, eam ferè quam  
mathematicæ demonstrationes non dicam *ἐνάργειαν*, sed  
*ἐνέργειαν* habent, ut *ἀνευεργήτων* tantum prope offendas  
numerum, quantus est ingratorum. Vitium etenim  
vitio propellunt, malum faciunt, ne pati mala opus sit.  
Ingra-



ἀνευεργυσίαν dicunt nonnulli *Ingratitudinem in futu-  
rum*, sicuti benefactorum oblivionem, *ingratitude in  
in præteritum*. Seneca elegantissimè lib. i. de benef.  
cap. i. *Qui non dat vitium ingrati antecedit. Dicam  
quod sentio, qui beneficium non reddit magis peccat,  
qui non dat citius.* Id proinde peccati quandoqui-  
dem firmo proposito evitandum statuimus, habemus-  
que *perpetuam & constantem voluntatem* benefaciendi,  
id demum concludimus, benefaciendum quidem at  
non uti vulgò fieri amat. Id quod & ex illa, quam hac-  
tenus expendimus, ratione leviter correctâ effici potest.  
Regulis igitur prudentiæ circa beneficia iudicium pra-  
cticum instruendum. Hoc erat, quod propositum est  
ὅπερ ἔδδ' δείξαι.

## HYPOTH. II.

MORES HOC IN GENERE NON SA-  
TIS FORMAT PHILOSOPHIA

VULGI.

§. I.

**N**on spernimus omninò, quæ vulgus philoso-  
phatur. Absit illa ὀϊσις ἐγκοπὴ πρροκοπῆς, quâ  
aut quod sibi inventum, aut quod erudito-  
rum nomina præ se fert, unicè placeat. Non tam  
profanum, & arcendum à nobis vulgus est. Est  
& quod in vulgaribus sententiis ἐκλέξῃ idoneum.  
Latet in proverbiiis tanquam in puteo Democriti ab-  
strusa sæpe veritas, modo quis extrahere dignetur.  
Quod ex *Erasmii adagiis paralipomena philosophica* a-  
liquando deducturi plenius nos ostensuros speramus.

§. II.

§. II.

At illud tamen *ninivæ* credulitatis vitium non est probandum, si quis sine curata inquisitione quæ vulgus tradit è vestigio sequatur. Ut enim mittamus alia, quæ extra beneficia sunt, quanti errores in tritis istis *versiculis* qui de beneficentia circumferuntur occurrunt? Non audemus *Germanos* nostros pudore suffundere, etsi & isti multa *proverbia*, quæ *vera verba* non sunt, jactitent. Quam ex *Latinis* Seneca ipse attulit lib. i. de benef. c. 2. *paræmian* sine invidia castigârimus. Ita habet:

*Beneficia in vulgus cum largiri institueris,  
Perdenda sunt multa ut ponas bene.*

§. III

Nec deest species, sed perit glaucoma si philosophica quædam paradoxa, à quibus isthuc verbum declinat, ex nostro paucis repetas.

PARAD. I.

NEQVEUNT BENEFICIA IN VULGUS EFFUNDI.

§. I.

**B**eneficium (si quod apud Philosophos obtinet merito nomina rebus suis respondentia sint adhibenda) *virtutem*, aut, ut recentiorum quorundam Philosophorum vocabulum habet, *amoris rationalis effectum* designat. Beneficium itaque non potest esse sine iudicio, aut recta ratione (ratione regulis prudentiæ instructa); at largitio sive effusio non secus ac si ludas reseris cœcæ se committit fortunæ. Hæc *copiam*, illud *pondus* exigit. Largitiones nequeunt esse sine *multo*,  
bene-

beneficia parcius dari, si id prudentia velit, possunt. Non facco hæc sed manu ferere, non effundere, sed disponere ac cautè administrare oportet. Quocirca temerè projecta munera non isto, quod καλοκαγαθίαν designat, sed vocabulo longè aliò, saltem μέσῳ afficienda.

## PARAD. II.

BENEFICIA NON SUNT EA INTENTIONE  
DANDA UT ALIQUANDO PONAS  
BENE.

### §. I.

**S**pes alit agricolas, nihil feminis terræ mandantes, nisi quod cum fœnore sint recepturi. At cum virtus sit aliquid *per se expetendi* suaque sibi merces, non spe amplioris commodi est amanda. Oderunt & quandoque peccare mali sed formidine pœnæ, aut amore lucelli. Nos ad altiora & magis magnifica natos nos esse ducimus, & quæ istam hominum facem à nobis segregent, ut si isti bonum, nos & *bonum* & id *bene* agamus. Absurdum enim in eo acquiescere (hoc argumento & ipse Christus utitur Matth. 5. v. 46. & 47.) quod nobis cum pravis hominibus commune est. Honestum est quod *solum* primariò *bonum*, existimamus, reliqua rati aut bona secundaria, aut Stoicorum lingua προηγμένα, Ciceronis translatione l. 2. de sim c. 12. *promota, preposita, precipua, producta*, Senecæ verbo Ep. 74. (hoc enim quod verbū ex verbo Cic. transtulit solum placebat) tantum *producta*, Doigene Laertio l. 7. hist. phil. in Zenone Interprete, τὰ ἔχοντα ἀξίαν. *Honestum* verò id, si Cic. lib. 2. de Offic. c. 45. audiamus *intelligimus quod tale est ut detracta omni utilitate sine ullis præmiis fructibus*

B

bus.

busque per seipsum possit laudari. Quod quale sit non tam definitione, qua sum usus (ille usus est & nos secuti) intelligi potest, quanquam aliquantum potest, quam communi omnium iudicio & optimi cuiusque studiis & factis.

### PARAD. III.

SUNT BENEFICIA ET ILLIS DANDA APUD  
QVOS MALE PONUTUR.

**Q**uod donec ad problema primum pedem proficimus explicare differimus.

### PARAD. IV.

BENEFICIA NUNQVAM PEREUNT.

§. I.

**P**erire actionem vocamus, quæ fine excidit. At verum beneficium finem secum indivulso nexu habet conjunctum, honestatem, &, quæ inde in virum gravem redundare potest, voluptatem animi. Satis est actionem completam, pervenisse ad eum, cui rectè volebamus, beneficium. Propterea enim *dabatur* ut *acciperetur*. Æquivalens desiderant creditores, cum cura in Kalendariis sua adscribentes; at benefactores cum tale quid nunquam desiderent, ab hoc scopo, ad quem collineandi animum nunquam habuere, declinare non existimandi. Dant cito, data æquè cito obliviscuntur, tantum abest, ut de accipiendis sint anxii. Hoc est, uti Christus (qui doctrinam moralem *ὡς ἐξ ἑστίας ἔχω* docuit) loquitur Matth. 6. v. 3. *sinistram celare, quod dextra fecerit.*

HYPO-

*HYPOTH. III.*  
NEC OMNINO ANIMUM EXPLET  
PHILOSOPHIA MYTHICA.

§ I.

Solitus quidem est terrarum orbis, cum in infantia versaretur, fabulis unice capi, & hisce *signis* veritatem involutam discere, Hoc nomine *Aegyptii* vulgò celebrantur, quos & *Judaicam gentem* in Rabbinicis & Thalmudicis scriptis imitatum ferunt, hoc & *Homerum*, *Hesiodumque* poetarum antesignanos fecit immortales, & si qui ex eo tempore, quod cum *Varrone* *μυθικόν* vocamus, supersunt alii.

§ II.

Nam & ingenia lectorum auditorumve plebeia erant pleraque, quæ ubi nucleos rerum patientius rimari, circumstantiasque & partes *adequatè* excutere, quod *philosophica dogmatica* studiosos oportet, horrebant, amænioribusque aded imaginibus duntaxat (his licebat *delectando prodesse*) utcunque poterant erudiri. Vera enim exempla illam ætatem deficiebant, cum homines in rebus primum nascerentur, exiguo planè rerum usu subacti, nec notandarum revolutionum conscii. Illorum ferè erat tantum *facere*, posterorum *factorum reminisci*, comparare eadem, & memoriæ prodere. Illi itaque historiæ subministrare *materiam*, posteridemum in *formam* illam redigere valuerunt.

§ III.

At nunc alia rerum facies est. Ubi multò majora humanæ sapientiæ adminicula, non est quod fabulis,

quibus uti olim *durum telum necessitas* coegit, tantum  
inhiemus. Non defraudandi sanè sua laude qui anti-  
quitatem in hoc genere scribendi feliciter imitantur,  
qui ingeniosis fictionibus tanquam elegantissimis aro-  
matibus saluberrimum sapientiæ cibum adspergentes fa-  
stidium, quod ex quotidiana illa edendi forma capi pos-  
set, abstergunt, efficiuntque ut homines dum se *maximè*  
*otiosos* fore credant *minimè* omnium sint *otiosi*. Ma-  
gnum in hac *eleganti fraude beneficium* est. Nec pos-  
sumus quin inter nostræ ætatis scripta prædicemus *illu-*  
*strem Octaviam* & styli nitore, & rebus ad prudentiam  
facientibus incomparabilem, & si qui alii sint de quorum  
indole judicant *Petrus Dan. Huetius in tract. de lib. Ro-*  
*manens. & Christ. Thomas. in Meditationibus mensuris de*  
*A. 89. mens. Majo.* Abusus est quem improbamus, qui  
dogmaticæ philosophiæ creat præjudicium, quando fa-  
bulis propositis sapientiæ studia à docentium gravitate  
abstrahere conantur. *Στοιχεία* simplici oratione *præ-*  
*mittenda*, quæ si cum voluptate *repetere*, iuque his ma-  
gis velis confirmari, tum *conferre* istos elegantiarum  
magistros licebit. Illud agere, hæc *poëtis oratoribusve*  
relinquere *philosophiæ Doctoris* est. Contra quod cum  
admodum impingat Chrysippus *Magnus Vir sed Græcus*  
(Laconicis moribus haud aduetus) non mirum id Sene-  
cam severissimum Virum concoquere non potuisse.  
*Nec his fabulas* (scitè inquit l. i. de benef. c. 3.) *sed hæc fa-*  
*bulis inserit*, tractationem parum sinceram arguens,  
quæ in potissimo objecto potissimam non po-  
nat operam.

HYPO.

## HYPOTH. IV.

### A PHILOSOPHIA DOGMATICA VERA BENEFACIENDI RATIO EST PETENDA.

#### §. I.

**I**N hac esse λόγον τῆς ἀληθείας ἀπλῆν modo memora-  
bamus. Uti eloquentia tam soluta quam ligata  
affectibus suaviter mulcendis intenta est, ita dogmatica  
philosophia intellectui inprimis operam navat. Sim-  
plici ratiocinatione usa satis habet si rationem remo-  
tis errorum ac præjudiciorum tenebris, debito sibi  
lumine perfuderit, cum quæ humani animi culturæ su-  
perant prudentia & ipsa moralis virtus sint suggesturæ.

#### §. II.

Quam si περὶ τὰ ἀνθρώπινα intelligas non exclu-  
det virtutum vitiorumque exempla, & morum chara-  
cteres. Ignoscent qui philosophiam practicam in do-  
gmaticam paradigmaticam characteristicam & parene-  
ticam divellunt, quamdiu Senecam sequor illos sequi  
non posse. Hunc enim adverte (suboluit id jam pridem  
Horneio vide sis lib. I. civilis doctrinae de moribus cap. 1.  
n. 2.) philosophiam dogmaticam cum his conjunxisse,  
inclusisse in suis doctrinis (libros de ira hęc nomine  
maximè admiror) characteres morum, horum lucu-  
lentissima exempla, denique addidisse λόγον παρανε-  
τικόν, qui annon rectius τῇ ὑποκειμένῃ ὕλῃ, quam vel dia-  
lecticorum ut vocant Syllogismi formales, vel mathema-  
ticorum epicheiremata conveniat digni Seneca  
æstimatores pronuncient.

# THEOREMATA.

## THEOR. I.

PHILOSOPHIÆ DOGMATICÆ DE BENE-  
FICIIS COMMUNIOREM CONCEPTUM  
ETHICÆ QVANDAM PARTEM DI-  
XERIMUS.

### §. I.

**N**on placuit Senecæ integrum Ethicæ Systema, &  
in hoc suo loco caput de beneficiis elaborasse.  
Dare maluit philosophiam moralem *μεγαλήν*. Vide-  
bat enim si *ὀλική* sive formatrix omnium morum simul  
adæquatè tradenda esset, aut librum *nimis prolixum* eva-  
dere, ingeniaque hominum obruere, aut *nimis brevem*  
h.e. eam, quam promittit, dignam materiæ ubertate tra-  
ctationem non præstare. Cum ergo nollet prolixitate  
aut rerum multitudine lectoribus esse molestus, nec  
quod desultorii ingenii est multa levi brachio tractare,  
in eo est vitia ut carptim evellat singulariaque argu-  
menta iusta tractatione expediat confisus *plurimum pro-*  
*fecturum sermonem, qui minutatim irreat animo.* Est  
inter illa beneficentium disciplina certis prudentiæ re-  
gulis, hoc enim exigit *τέρας τῆς ἀπιστήμης*, curatè instru-  
enda.

## THEOR. II.

HUJUS OBJECTUM QVOD SIT CONSTAT  
ILLICO SC. BENEFICIUM, QVOD RECTE  
DEFINIVERIS QVOD SIT:

BENEVOLA ACTIO TRIBUENS GAUDIUM  
CAPIENSQVE TRIBUENDO IN ID QVOD  
FACIT PRONA ET SPONTE SUA PA-  
RATA.

VEL



VEL ALITER :

OPERATIO PROÆRETICA QVA UT AL-  
TERI BENE SIT LABORATUR SOLIUS  
HONESTATIS GRATIA.

§. I.

**P**roæreticam dicimus *sive actionem benevolam, pro-  
nam, sponte paratam.* Quod enim actionis mora-  
lis (imputabilis) principium est, voluntatem in descri-  
ptione hujus nostræ moralis actionis, quæ beneficium  
dicitur, omitti nefas est. Cujus statuitur plerisque (ad-  
dunt verò se loqui in ordine ad actionem proæreti-  
cam puram externam) *causalitas* volitio plena ac deli-  
berata, & cum quadam voluptate in objectum lata, per  
hanc enim actio ipsis constituitur proæretica pura, & vo-  
luntas actionis proæreticæ *causale principium.*

§. II.

Hoc eò dicitur, ut ne beneficii *objectum* cum ipsa  
*actione* benefica, quod vulgò fieri solet, confundatur.  
Rectè Seneca lib. i. de benef. c. 5. inter *materiam bene-  
ficii & beneficium, rei notum signum aut speciem, remque  
ipsam* sollicitè discrimen faciendum observat. *Objectum*  
vocamus id, quod bona benefactoris voluntas alteri tri-  
buit, ut v. g. aurum, potum aquæ &c; *Speciem* vel *no-  
tam* rei actionem externam, quâ bonæ voluntatis seu a-  
nimo immanentis actionis significatio exhibetur, ut v. g.  
amicum mensa ac cubili excipere &c.

§. III.

Distincta illa beneficii idea huic rationi inicitur,  
quod objectum adde & notam in se spectata sunt indif-  
ferentia, & demum per circumstantias vel ad virtutem  
aptari, vel in vitium coarctari possunt. Vide quam  
de

egregio simili id illustret noster. Sicut, inquit lib. 1. de benef. c. 6. *ne in victimis quidem licet opima sint auroque praeferantur Deorum (Dei) est honos sed pia ac recta voluntate venerantium* (in hoc enim consistit λογική λαλῆσια) ita nec ait, *beneficium est quod numeratur aut traditur.* Hoc illud quod Christus Matth. 9. Phariseis in memoriam revocat: *Delector, ait Dominus, ῥοη, non sacrificiis.*

§. IV.

Itaque animus si abfuerit à munere δῶρον ἀδωρον est, si accedit tum demum evadit beneficium. Possunt magna (objecta) dari odiosè possunt parva magnificè & ut ita dicam regiè. Exigit perspicuitas ut quò hæc noster illustravit apophthegmate id ex lib. 1. c. 8. paucis repetamus: *Socrati cum multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent Æschines pauper auditor Nihil, inquit, dignum te quod dare tibi possim invenio, & hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod unum habeo me ipsum. Hoc munus rogo quaecumque est boni consulas cogitesque alios cum multum tibi darent plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis nisi fortè parvo te aestimas. Habebo itaque curæ ut te meliorem tibi reddam quam accepi.* Et eccam planè philosophicam nostri animadversionem (quales ni adjiciantur historicae observationes pene frigent) adjectam statim c. 9. *Videtur mihi, ait, dixisse: Nihil egisti fortuna quod me pauperem esse voluisti expediam nihilominus dignum huic viro munus & quæ de Tuo non possum de meo dabo. Neque est quod existimes, illum vilem sibi fuisse qui pretium se sui fecit, ingeniosus adolescens invenit quemadmodum Socratem sibi daret. Εὐγε σοφῶς!*

§. V.

§. V. VII

Est ergo quod constituimus, perpetuam & constantem voluntatem Ulpiani & ipsius Stoici, Aristotelis voce *εὐαίθετον* beneficii bonum morale efficere. Auget eadem, ut & inde moralitatis gradus commodè quas deducere. *Infimus* enim erit si quis *simplici voluntate* dedit, *superior* si cum *gaudio*, non secus ac si qui dedit acciperet, s. quod idem singularis cuiusdam *complacentiæ appetitu*; paulo *altius* evehitur, beneficium si *cupidè*, sive quod idem, cum *appetitu desiderii efficaci*, quod cum summum sit, si *omnem occasionem* quæras & *occupes*, hinc *summus* ejus quæ in beneficentia est bonitatis gradus fuerit, benefaciendi occasionem captasse, prævertisse vel alterius expectationem, aut, ut noster suo more, lib. 2. de benef. c. 2. beneficium misisse *obviam*.

§. VI.

*Finem* verò dicebamus à *parte ejus cui beneficit* ut *gaudii rationalis*, sive tranquillitatis animi (hæc enim id bene esse brevissimè descripsisse liceat non alias invidentibus plenior Senecæ de veri boni ratione tractationem ex epist. ejusdem 66, 74, 76, 87. petendam) homini subministrantur adminicula; à *parte verò nostra*, ut quod solum nobis bonum, totiusque vitæ *moratæ* propositam *honestatem* expleamus.

THEOR. III.

BENEFICIA DIVIDI POSSUNT RATIONE MATERIE IN QVA, MATERIE EX QVA, MATERIE CIRCA QVAM  
MATERIE, IN QVA  
C IN

IN  
GENERALIA, ET IPSIS INGRATIS COM-  
MUNIA  
SPECIALIA, SOLIS DIGNIS PROPRIA  
MATERIÆ EX QVA  
IN  
DURABILIA  
BREVI PERITURA  
MATERIÆ CIRCA QVAM  
IN  
NECESSARIA  
UTILIA  
JUCUNDA.

§. I.

Vix opus est *partitiones* prolixius exposuisse, cum fe-  
re ex terminis liqueant. Et de *generalibus* ex *Probl. 1.*  
constabit, quantum ab his *specialis* in homines *amoris*  
effluvia differant. *Durabilium* exemplum notasse sa-  
tis erit. Ferunt ætatem curata & elegantia scripta,  
inter quæ vel Homeri opera monumenta ære sunt pe-  
renniora, in quibus quia ille de Achillis laudibus bene  
meritus est, hoc tam insigne in tantum Heroem tam  
*durabile beneficium* meritò admiratus est Alexander  
Magnus. *Eorum quæ brevi pereunt* quotidie exempla  
se oculis objiciunt, qualia sunt quæ ad certum tempus  
adstricta ut flores, poma &c.

§. II.

Quæ posterioris divisionis membra digna fuere  
visa vel nostro tam inclementi inanis speculationis cen-  
sori (vid. epist. 45, 48, 49.) quæ lib. 1. de benef. c. 11. pau-  
lo attentius consideraret. Oritur *diversitas objectorum*  
ex eorum cum diversis bonis diversa commensuratio-  
ne si

ne si Platonis partitio bonorum in naturalia & assumta recensita Cic. l. i. Quæst. Acad. arrideat, ex illa fortè hypothefi non difficulter negotium possit expediri. Quæ namque cum bonis naturalibus connexa sunt beneficii objecta, hæc si nexus sit indissolubilis, necessaria, si nexus commodè (ita ut expediat) solvi non possit, utilia dixerimus. Naturalia verò bona illa sunt, quæ Seneca inquit ita se habere ut sine illis vivere aut non possimus, aut non debeamus, sive ut alii loquerentur, quorum contrarium naturæ humanæ ἀδύνατον sive physicè, sive moraliter. Quæ ita se habent ut sine illis vivere homo saltem non velit, hæc sunt quæ Plato assumta vocat, possesque unò verbò dicere jucunda, non quod omnia voluptatem crassiolem ἀφῆς καὶ γόσεως respiciant, sed quo ullò saltem modò gravem civem queant oblectare, ut sunt civilia etiam præmia honorum divitiarumque. Beneficia ergo quæ huc faciunt jucunda dicimus, etsi & hæc putarimus vel necessaria, vel utilia, saltem (quod & aliorum vocabulorum suppetet copia) vel ἀχώριστα, vel κερωρισμένα statui posse, quia & jucundorum nonnulla à prioribus remotius distare, nonnulla ad ea propius accedere dixerimus.

### THEOR. IV.

SUBJECTUM HUIUS DISCIPLINÆ DUPLEX STATUI POTEST, IS, QUI BENEFACIT (VERBO BENEFACITOR) IS CUI BENEFIT (VERBO BENEFICIARIUS).

#### §. I.

Consulendum utrique, cum ut in prolegom. vidimus utriusque generis homines nimis erroribus

agitantur. Suspiciendi ἀπερσωπολήπως utriusque à Philosophis affectus, curandique istis legibus, quas non *urbi* sed *orbi* præscribendas habent. Nos verò conabimur, quæ *ad benefactorem* pertineant (ex dictis quippe conceptus etiam specialior beneficentium ethicæ resciri potest) quædam *problemata* deducere.

## PROBLEMA I.

### SUBJECTA BENEFICIORUM RITE DEFINIENDA.

#### §. I.

**Q**uisquis homo est, *humanitatis* meritò expectat officia. Dandum ergo id naturæ præstantissimæ & communis, ut, quemque hac pollere viderimus, sincero amore prosequamur. Neminem (ne quidem beneficii futurum immemorem) eorum, quibus id benigna concessit natura, ut rationali spiritu gaudeant, exceptum voluit.

#### §. II.

Sunt quædam quæ in universum humano generi dedit Deus, à quibus excluditur nemo. Svavissimum solis calorem, pluvix fecunditatem nec improbis invidet. *Summum enim Bonum* (ut *Dionysius*, Platonicus Philosophus libr. de Divin. nominibus c. IV. loquitur) *est ipso, quod est, & Bonum substantiale est, in omnia bonitatem diffundit.* Sicut enim, cum magnus Zizaniorum proventus cum tritico commistus est, non id agunt agricolæ prudentes, ut ante messem infelix lolium evellatur, quandoquidem ne & triticum in divulso ferè nexu cum lolio conjunctum simul eradicetur periculum est; ita & divina (quam isthòc simili ipse Christus dedit

dedit adumbratam Matth. 13.) providentia florem quoque malis ac incrementa permittit.

§. III.

Hanc Dei optimi maximi *beneficentiam* omnibus in medio positam, nos pro modulo nostro exprimere honestas jubet, maximè ubi probos ab improbis separare, quos Deus occulto nobis conjunctionis genere consociatos, ut diximus permittit, non integrum, nam difficilis, ut Plato apud Senecam l. 4. c. 33. ait, humani ingenii conjectura est, ut vix quando justam nactus sis moram verisimilia quædam queas captare, tantum abest ut in negotio celeriter expediundo segregare animos possis. Quocirca si vel maximè ubi negotium sit paulo gravius, meditatione ampliori, & probabili hominum discretione opus fuerit, in istis tamen communioribus officiis (ut sunt viam erranti comiter ostendere, lucem de luce accendere, aliquem qui in latrones incidit clamore sublato eripere) ubi negata inquisitionis mora, præsumptio boni viri sequenda præstandumque illico auxilium, quandoquidem si id simus denegaturi, metuendum ne probo denegemus. Adeo *semper in dubiis benigniora præferenda sunt* (ut habet Imperator ff. de R. I. l. 26.) *ac satius est* (iterum cum Seneca loquimur l. 4. c. 28.) *prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos.*

§. IV.

Imo vero hanc gratiam Deo debemus ut si nos eò mactati beneficio simus, ut, quid in genere humano *validum*, quid *ægrum* sit valeamus perspicere, quorsum ille nos natos voluit & dotatos *morbis animorum curandis* operam navemus. Nulla verò commodior *medicina* quam si beneficia applies ingratis. *Ægri sunt, at*

C 3

no 78

*non desperati, dum scilicet illis anima (ratio) est, spes esse dicitur.* Possunt & bestiae, si juxta solertiam patientem offenderint magistrum, cicurari, & in hujus amore impellici, idque quod solâ *oem* quadam, sed quæ vix rationis umbra sit, feruntur. Notissima hanc in rem historia est de fide Leonis in servum quendam Androclum, ut alia exempla mittamus. Quid non ab homine expectandum? Non curet se semel beneficiis impetum, ferat & secundum tertiumve assultum, tandem tamen beneficiorum in se irruentium cedit multitudi. Bellissimè noster Seneca, ut omnia, l. 1. cap. 3. *Qui instat, & onerat priora beneficia sequentibus etiam ex duro & immemori pectore gratiam extrudit. Non audebit adversus multa oculos attollere, quocumque se vertit memoriam tuam fugiens ibi te vident, beneficiis suis illum cinge.* Neque enim non confidendum futurum, ut vel tandem frigans animus assiduè admotò igne nostri amoris, & ipse aliquas flammascenciât. Quod & Paulus ferè videtur promississe cum Rom. 12. v. 20. id facere præcepit ut carbones ignis vel super inimici caput colligamus. Quod tamen quâ mensura fieri queat problema tertium mox exponet.

## PROBLEMA II.

IN DECERNENDIS BENEFICIORUM OBJECTIS  
NE FALLAMUR CERTO CRITERIO OPUS  
EST.

§. I.

**N**ullum in moralibus objectum appetitum nostrum movere debet, nisi propter finem, ad quem aptum est natum. Itaque nec ut beneficia demus alterius voluntate nos patiemur perducere, nisi persuasi simus,



mus, bonum nos illi, cui an benefaciendum sit delibe-  
ratur, finem procuraturos.

§. II.

Quando enimcunque beneficiis datur damnum,  
id inde sequetur inconueniens, ut inter amicam volun-  
tatem, & hostium vota nihil interfit, quæ quam inter se  
pugnent manifestum est. Neq; vero si huc deducat im-  
prudencia, ulla, quæ in prudentium foro admittatur,  
excusatio suppetet. Dicat enim quis se id ex suo bene-  
ficio nasciturum non prævidisse, sapientis viri non est  
dixisse putaram, est illius non initia tantum rerum, sed  
& in primis extrema respexisse; quanquam isthoc pacto  
non tam voluntatis malitiam, quam infelicitatem in-  
tellectus prodat. Illius duriores sunt partes, qui præ-  
visa non cavit, desiderio alterius ἀτάκτω, miserabilique  
voce fractus. Id enim rationalis erga alterum amor  
volebat, ut, quam διαβολίας ἀπώστια in ipso adverterat,  
suppleret. Hoc animo ad ipsius amicitiam confugerat  
alter, ut sua copiâ hujus indigentiam sublevaret. Hoc  
ἀνεγὼν amicitia honestæ rationem mutuò juvare, revo-  
care à cæptis præcipitem affectum, eripereque ab infor-  
tunio, quod affectuum intemperiem sequitur maxi-  
mum. Præstat itaque vel nolentem servasse, siquidem  
certum est, fore, ut si ad se redeat, idem tecum alter ve-  
lit. Rectè Cicero lib. i. de offic. c. 31. & 32. *Cum tem-  
pora commutantur (circumstantia unica mutetur) com-  
mutatur officium, & non semper est idem. Potest etiam  
accedere promissum aliquod & conventum ut id effici sit  
inutile. Nam si ut in fabulis est Neptunus, quod Theseo  
promiserat non servisset Theseus filio Hippolyto non esset or-  
batus. Ex tribus enim optatis ut scribitur hoc erat ter-  
tium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit, quò im-  
petra-*

petratò in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur  
servanda sunt ea, que sint iis, quibus promiseris inutilia,  
& prorsus noxia.

### PROBLEMA III.

MODUS BENEFACIENDI SUUM NON MINUS  
EXIGIT CRITERION.

#### § I.

**O**bjectum intrinseca rei natura, non accipientis  
affectu æstimandum modo constitit. Quibus ta-  
men nullas circa beneficia voluntati ejus, ad quem be-  
neficium perveniet, reliquendas partes, haudquaquam  
statuimus. Imò verò voluntatem alterius expendisse  
*artis placendi*, quæ circa beneficia occupatur, *τὸ ἀνεργῶν*  
est, principium non infimum regula Christi: *Omnia que*  
*vultis* (voluntate tamen rationi innixa) *ut homines vo-*  
*bis faciant ipsi facitote*, regula tam probata, ut Impera-  
tor Alexander Severus non posset non passim perscri-  
bendam, quò sæpius hujus memoriam refricaret, cu-  
rare, ut auctor & Ælius Lamprid. in Alex. Severo in vo-  
lum. veterum Cæsarologorum simul ab Erasmo edi-  
torum) p. 311.

#### § II.

Relinquitur ergo modum beneficiendi prorsus ad  
alterius voluntatem accommodandum, de alterius ve-  
rò voluntate hac cum nostra comparata judicandum  
esse. Nullum enim dubium, quin, si nos in alterius  
personam conemur *μετασχηματίζεν*, ac nos interroge-  
mus accuratè quid, si alterius personam sustinentes iis-  
dem quibus illi cingeremur circumstantiis, desideraturi  
essemus, multa ac judicium practicum egregiè directum  
resciscamus.

#### § III.

§. III.  
Videbimus ex isthac comparatione arridere nobis  
(& in hoc plerosque nobiscum consentire existimamus)  
beneficia, quæ ad nos perveniant integra ac illibata, si  
nihil tritis sive in rebus, sive in verbis admisceatur gra-  
to, si denique in tempore dentur. Nam si beneficio  
grati decedat nonnihil, indignaturi utique essemus.  
Sit aliquid salubris in acerbiori, quod cum beneficio  
conjunctum, monito, istò tamen tempore, quò non ni-  
si beneficii suavitate animus percutiendus, acriora non  
expectamus. Esto, nam exemplò quod ipse Seneca at-  
tulit l. 2. c. 7. res illustranda, causas fuisse Tiberio, cur  
M. Allium nepotem rogantem, ut æri alieno succurre-  
ret, meritò castigaret luxuriæ nomine, eò tamen tem-  
pore, quò gratiam imploratam homini concessit cum  
contumeliosa adversus illum uteretur oratione, bene-  
ficio corrupto. *Prudentissima est Senecæ animadver-  
sio. Liberavit illum à creditoribus, sibi non obligavit. —  
Ista fortasse efficax ratio fuerit ad hominum cupiditates  
pudore reprimendas, beneficium verò danti tota alia se-  
quenda est via,* ita ille l. c. elegans est, quod ibidem ad-  
dit noster, Fabii Verrucosi cujusdam Apophthegma be-  
neficio acerbè datum panem lapidosum vocantis,  
quem esurienti accipere necessarium quidem, sed acer-  
bum. Porro quò beneficium integrum, & ad votum  
nostrum detur, ut sine detentione detur opus esse cen-  
semus. Bis dat nobis, qui citò dat, qui vero diu nos  
cogit animi pendere, judicio est, se diu juvare nos no-  
luisse. Quid enim magis discruciet animum, quam,  
ubi periculum, quod ajunt, in mora deprehendamus,  
incerta diu expectatione luctari. Sicut enim cum quis,  
quod intolerabilis ille Romanorum Imperator Caligu-  
la vo-

D

la vo-

la volebat; ita cæditur, ut mori se sentiat, ex antecedente ultimum supplicium, quod extrema doloris linea, tempore cruciatus maximos captat, ita quod boni tam nobis necessarii tam desiderati consecutionem præcedit tempus *ἀδύλον* nos quam maximè torquet, malò per longas moras indies invalescente.

§. IV.

Hæc quidem ita comparata sunt, ut nemo non hæc meritò videatur velle circa benefaciendi rationem superest & aliud, quod licet expectare aut expetere nimis impudentis sciamus esse exactoris, ita tamen placet animo, ut nihil ipsi possit cadere optatius. Hoc est cum hominis voluntas, antequam hujus aperta exeret significatio, divinatur, beneficiumque mittitur obviam, ne precibus (quandoquidem nimis carò pretio sibi comparare, quæ præcibus, sibi videntur) habeant opus. Est ergo, quod propriæ voluntatis scrutinio vel omnium gratiosissimum benefaciendi modum, si res ferat, decernamus. Felix qui benefacturus hoc semper inspicit speculum. *Utilissimus enim ac brevissimus* (hoc olim Galba Imperator ad Pisonem adoptatum imperii consortem pronunciavit apud Cornel. Tacitum VI. histor.) *bonorum malorumq; rerum delectus, cogitare quid aut nolueris sub alio principe, (eâ quæ alios nunc tenet sorte) aut volueris.* Quod & ipsum Trajanum impulit, ut talem se futurum Imperatorem promitteret, qualem exoptaverat priva-

tus.

PRO-

## PROBLEMA IV.

### SERVANDA IN BENEFICIIS PROPORATIO.

#### §. I

**P**roportio in moralibus ad conditionem circumstantiarum exigenda. Eruditè noster l. 2. de benef. c. 16. *Nihil per se quenquam decet, refert, quid, cui, quando, quare, ubi, & cetera, sine quibus facti ratio non constat.* Potissimum verò in Beneficiis considerandæ circumstantiæ sunt *persona quæ benefaciet, quæ beneficio fruetur, objectumq;* circa quod alter dando, alter accipiendo versatur.

#### §. II.

Primum ergo fas est in eum oculos coniecisse *cui est benefaciendum.* Perducendæ ad liquidum hominis *qualitates* sive quas naturas dedit, sive quas naturæ cultus, sive deniq; quæ à Societatis civilis decreto profectæ, & hinc statuenda ejus *ἀξία.* Sint naturæ vinculis nobiscum conjunctus, habet ceteris paribus, quò se reliquis anteponat, unde & *consanguinei* necessarii ab antiquitate appellati, quod olim auxilium à propinquis necessariò impertiendum existimatum est. Sit naturæ sexui fortiori aggregatus, aliud ipsi conveniet beneficium, ac quod sexui sequiori idoneum sit, si respicias animi culturam, bonus, arctioris amicitiae munera, quam quæ malis daremus, exigit. *Malis* scil. obiter, & tanquam aliud agendo, ac κατ' ἄλλο, quæ videlicet sub imagine bonorum virorum latent, beneficia exhibemus, at bonis κατ' αὐτό, serviendum, omnique in hoc collato studio. Hoc vocant *officium amoris specialis, illud generalis.* Hoc est, quod Seneca exponit lib. 2. de

benef. c. x. *Dignum etiam*, inquit, *impendio sanguinis mei tuebor, & in partem discriminis veniam; indignum si eripere latronibus potero, clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit emittere.* Denique *genus vite* quod homo sequitur indagandum, expiscandum quis *character civilis* ipsi tributus sit. Certè privato regiae divitiæ (ut sunt provinciæ, & incolæ) non conveniunt, nec qui paupertatem in societate profitentur, & pro pauperibus à civitate habentur, ut quæ hodie detinentur in ordinibus mendicantium monachorum, olim Philosophorum nonnulli, ut Cynici &c. divitum luxum convenienter expetunt.

§. III.

Conferenda hæc accepturi persona cum *persona dantis*, cavendumque ne aut *plus*, aut *minus*, quam vires ac facultates daturi, societati que de his iudicium exposcunt, præstetur. Dicimus conferendam proportionem dignitatum ac personarum, si enim unam tantum respexerimus personam, aut dantem solum, aut accipientem, à prudentiæ regulis declinabit actio. Rectè ideò noster insultavit Magnifico Alexandri M. verbo ad eum, cui urbem quandam donabat; *Non quero quid Te accipere deceat, sed quid me dare.* Quantò prudentius noster ad Neronem apud Tacitum annal. lib. 14. *Uterque mensuram implevimus, & tu quantum Princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus à Principe accipere.*

§. IV.

Quando ergo & amicus tribuens, & amicus accipiens unà considerandi, illud demum beneficium proportionatum ducendum, quod nec danti ruborem, nec acci-

accipienti aut fastidium, aut invidiam conciliat Evitan-  
dum itaque *prejudicium hominum*, qui generosi videri  
volunt, haud paucorum, ea studio dantiū beneficia, qui-  
bus referendis alter sit impar. Quod ut rectius constet,  
digna est, quam Seneca l. 2. de benef. c. 15. legere nos vo-  
luerit, & huc apponamus, Chryssippi similitudo. Volo,  
ita Sen. Chryssippi nostri (erat enim Stoicus longè acu-  
tissimus) uti similitudine de pilæ lusu, quam cadere non  
est dubium aut mittentis vitio aut accipientis. Tunc  
cursum suum servat, ubi inter manus utriusque aptè  
ab utroque & jactata & excepta versatur, necesse est au-  
tem lusor bonus aliter illam collutori longo, aliter bre-  
vi mittat. Eadem beneficii ratio est, nisi utrique per-  
sonæ danti, & accipientis aptatur, nec ab hoc exhibit, nec  
ad illum perveniet, ut debet. Si cum exercitato & do-  
cto negotium est, audacius pilam mittemus. Utrun-  
que enim venerit, manus illam expedita & agilis reper-  
cutiet, si cum tirone & indocto, non tam rigidè nec tam  
excussè sed languidius, & in ipsam ejus dirigentes ma-  
num remissè occurremus. Idem faciendum est in be-  
nificiis, quosdam doceamus, & satis judicemus, si co-  
nantur, si audent, si volunt (gratiam referre).

### §. V.

Sed & *Objectum*, cum *sine* & voluntate ejus, qui  
beneficii fit particeps esse debet commensuratum.  
Danda quæ honorifica alteri sint apertè, quæ nequeunt  
*sine atriua* alterius dispalescere. Occultis danda mo-  
dis. Hòc in genere insignem artificem Arcesilaum  
exempli loco nobis proposuit Seneca. *Arcesilaus* (nar-  
rabimus auctoris verbis) *ut ajunt* (habentque ita Plutar-  
chi apophth.) *amico pauperi & paupertate sua dissimula-*

ti, *agro autem, & ne hoc quidem consenti, deesse sibi in sumtu ad necessarios usus, cum clam succurrendam iudicasset, pulvino ejus ignorantis sacculum subjicit, ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inveniret potius, quam acciperet.* Quæ ipsius pia fraus occasionem præbuit nostro hanc discutiendi quæstionem, an quandoque is, cui benefit nescire debeat, sibi à nobis benefactum. Noster multorum ulcera bellissimè tetigit, qui, sicut à malo non tam vitii odio quam futuræ cognitionis metu abhorrent, non v. g. furtum turpe rati, sed in furto deprehendi, ita ad bonum non tam boni amore, quam spe nixi inducuntur, fore ut admissa virtus cognita dignò sive encomiò sive præmiò afficiatur. Ab hoc communi errore revocat ille animos, exornat propriæ conscientiæ testimonium, quò qui gaudet, famæ mendacia ridere, qui destitutus est, ex famæ mendaciis acerrimos dolores captare & potest, & debet, & solet. Addit posse & indirectè, ut ajunt, beneficii auctorem, sicubi hæc cognitio *εὐεργεσίαν* gaudio futura, notificari, ut anxia beneficii commemoratione minimè omnium opus sit. In qua viri *εὐνεστοί* nihil est, quod desideremus. Confer tr. Ambros. l. 2. Offic. c. 16.

#### §. VI.

*Porro aliter danda quæ necessaria sunt, aliter, quæ jucunda tantum. Necessaria sufficientem ὀύμωv exigunt, quò referre queas omnia fortitudinis aliunde requirenda præcepta, quod circa maximè terribilia versantur. Jucunda verò satis est si rara fuerint. Rara sunt, quæ quis non habet, quæ diu quæsivit, nec obtrivit, quæ aut nemo ipsis dedit, aut nos nemini, aut terrè non illo modo. Neque enim quid certum quam ex eo maximam volu-*



voluptatem alterum capturum, quod ipsi maximè inexpectatum. Cujus inexpectati vel unica nova & improvisa beneficii circumstantia causa esse potest. Facit tempus nonnulla rara & nova, ut v.g. pira præcocia rara habentur, quod eò tempore vix videri solent hujusmodi fructus. Sed maximum raritati pondus addunt, quam diximus causa, scil. carentia, ita verò natura objecti intelligitur comparata, ut carentiam non in super habeat alter, desiderii anxietas nondum expleta *novitas dationis ipsius, sive quoad substantiam*, ut scholastici loquuntur Actus, *sive quoad modum* spectata. Qui datio quoad substantiam ut vocant actus, rara efficienda exemplò Corinthiorum illustravit noster, lib. I. cap. 15. qui cum Alexander M. Orientis esset victor sua illum civitate donarunt adjicientes: *Nulli civitatem unquam dedimus alii quam tibi & Herculi* murus quod Alexandro principi ambitiosissimo solò raritatis nomine gratissimum accidit. Sed quamvis actio in se rara non sit, potest tamen character aliquis superaddi, qui ut saltem sic ut ajunt qualificata rara habeatur efficit.

§. VII.

Non possumus hoc præceptum exhaurire, siquidem circumstantiæ infinitis modis variant, ut necessum sit si quis harum sit usus aliqua, multa extemporali sagacitate invenire, quæ in præceptis debuere reticeri. Quocirca conabimur quæ beneficia ut plurimum proportionata censeamus brevissimis regulis expedire.

**Reg. I. Necessariis beneficiis si res ferat alterum nobis devincire**

re potius satagemus quam jucundis.

Reg. 2. Ex necessariis sine quibus nemo potest aut debet vivere in quempiam conferre malemus quam sine quibus saltem non desiderat.

Reg. 3. Ex utilibus potior cura erit iuvandorum progressuum eorum qui altius tendunt. Nihil enim est utilius quam sibi ipsi utilem fieri.

Reg. 4. Ex jucundis quæ rara sunt ob anxietatem cupidinis fortius obligant, sic & quæ rarâ per substantiam actus.

Reg. 5. Beneficia durabiliora præferenda minus durantibus.

Scitè Seneca lib. 1. de benef. c. 12. *Eo quidem magis duratura queramus, quia nunquam admonere debemus, ipsa res evanescentem memoriam excitet, —*  
Apud

Apud paucos post rem manet gratia, plures sunt,  
apud quos non diutius in animis sunt donata,  
quam in usu. Ergo si fieri potest, consumi mu-  
nus meum nolo, exslet, bareat amico, & con-  
vat.

## Reg. 6. Beneficia quæ cum be- nefacientis salute collidunt, non ducenda proportionata.

Hoc vult caritatis præceptum à Christo datum, ἀγαπᾷ  
τὸν πλησίον καὶ ἑαυτὸν, (non addit ὑπερ) *Sum-  
ma amicitia est*, ita cum Christianismo conve-  
nienter loquitur Sen. l. 2. de Benef. c. 15. *ami-  
cum sibi æquare*. Non ergò vult lex caritatis  
(caritas incipit à se ipsa) ut alterius inopiam  
nostra indigentia sublevemus, alterius interi-  
tum nostro interitu vindicemus. Plura de le-  
ge caritatis vide sis in Diss. quadam hoc de ar-  
gumento sub celeberrimi Viri DN. PHIL. LU-  
DOVICI BOHMERI Præsidio in Illustri Julia  
hòc anno habita.

## PROBLEMA V.

DANDUM BENEFICIUM CUM DECENTI  
ACTIONE.

§ I.

**Q**uod in eloquentia maximum judicavit Demo-  
sthenes actionem, non possumus quin & in aliis  
E nego-

negotiis apprimè exigamus. Possunt decoris gestibus uti maximopere negotia ardua juvari, ita & dissolutis impediri, aut corrumpi.

§. II.

Non vacat plerorumque in societate æstimatissimorum hominum voluntatem, de eo, quod deceat, rimari, ex qua unicè novimus totum dogmatum, sive decretorum de decoro, in justam ferè disciplinam excrefcentium, corpus esse exortum. De beneficiis cum hæctenus dispexerimus, nec simus immemores, ad benefaciendi modum & actionem, quam dicimus, pertinere, satis fuerit ad jam expositum modi istius criterion & modo provocare. Scil. quæ circa beneficium actio creditur maximè esse ad voluntatem illius cui benefaciamus, illa decentior est.

§. III.

Quare gestus *υπερηφανιας* spirantes meritò ab hoc negotio exulabunt. Quid opus arrogantia vultus? quid tumore verborum? *Ipsa res se extollit.* Detrahenda est inanis jactatio, *res loquentur nobis tacentibus.* Cordatè monet noster lib. 2. de benef. c. 11. Istam enim actionem & nobis ipsis, & plerisque odiosam non est quod dubitemus.

§. IV.

Longè aliter optimus gestuum nostrorum director Seneca formandam actionem præcipit l. 2. de benef. cap. 13. *Jucunda sunt, inquit, quæ humana fronte certè leni placidaque tribuuntur, quæ cum daret mihi superior non exultavit supra me, sed quam potuit benignissimus*

*simus fuit descenditque in equum, & detraxit muneri  
suo pompam.*

§. V.

Ita enim jam supra constitit beneficia compara-  
rata esse, ut heterogenei quid admisceri non patian-  
tur, quod his omnis omnis gratia perit. Et hæc cau-  
sa est cur, ut ait noster, l. 2. de benef. c. ii. *beneficia be-  
neficiis fovenda sint*, cur fieri non possit ut simul bo-  
nam voluntatem ipsò factò significes, vultus verò se-  
quioris animi sit proditor. Quicquid ad beneficia  
pertinet necessum est homogeneum sit. Accessum est  
ut nulla non signa externa harmonicè in id conspiran-  
tia confirmet planissimè, esse beneficientem in be-  
neficiarium animo bono planè ac de-  
facato.

*F I N I S.*





2/c 6659

ULB Halle 3  
003 307 565



SLB

6009







16  
27. D.  
EXERCITATIO  
DE  
BENEF

QUA  
AMPLISSIMI P  
ORDINIS A  
IN ACADEMIA

sub Praesidio  
M. HENR. PH

Ad d. Aug. A. M  
defendet  
ab

AUCTORE RES  
JOH. PETR

JENA  
LITTERIS GOLLN

